



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Ioannis Baptistæ solennitate Paraphrasis Lectionis Esaiæ XLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

IN SOLENNITATE SANCTISSIMI IO-
annis Baptistæ, Lectio Esaia Prophetæ,
Cap. XLIX.

Audite insulae, & attendite populi de longè. Dominus ab utero vo-
cavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et
posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae pro-
texit me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua
abscondit me, & dixit mihi: Servus meus es tu Israel, quia in te
glorificabor. Et nunc haec dicit Dominus formans me ex utero servum sibi: De-
dit te in lucem gentium, ut sis filius matris tuae usque ad extremum terrae. Reges vide-
bunt, & consurgent principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, quia fide-
lis est, & sanctum Israel qui elegit te.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Verba huius Lectionis fratres charissimi ex libro Esaia Prophetæ
extracta sunt: quæ licet spiritu prophetico potissimum de Chri-
sto prolata sint, possunt nihilo secius ad præclarissimum illius mem-
brum, nempe S. Ioannem Baptistam, accommodari. Nihil enim obstat, ut
pleraque ex illis, quæ capiti conveniunt, etiam membris illius mystica in-
terpretatione aptentur. Sic D. Papa Gregorius quatuor illa animalia, quæ
apud Ezechielem describuntur, ad ipsum Christum, ad quatuor Euangeli-
stas, & ad vnumquemlibet perfectum acutissimè & convenientissimè appli-
cat. Dicit ergo sacratissimus Baptista: Audite insulae, & attendite populi de
longè, qui procul per varias mundi plagas habitatis, & Christianæ fidei do-
gmatibus assensistis. Dominus ab utero vocavit me, imò etiam antequàm ma-
ternis conciperer visceribus, missò cælis non quolibet, sed principe nun-
cio, nempe Gabriele nomen mihi imposuit, & de ipso matris meae ventre re-
cordatus est nominis mei, materna voce paternam manu illud enuncians,
quando cognatis Zachariae nomen mihi potius imponendum videbatur.
Sed quemadmodum ipse æterna suae electione nomen mihi indiderat, ita o-
portuno tempore illud etiam à parentibus mihi fecit imponi. Recordatus
etiam est nominis mei, sua me gratia mirificè præveniens, atque adeo etiam
sancti Spiritus in fultione confirmans, nec abiciens me meique oblitiscens,
vbi eorum dicitur oblitisci, quos iustè derelinquit. Et posuit os meum qua-
si gladium acutum, non sicut de impijs legitur: *Lingua enim gladius a-
cutus. Itemq;: Filij hominum, dentes eorum arma & sagitta, qui pestiferis & vene-
natis suis sermonibus animas jugulant, & morte sempiterna afficiunt.* Non
inquam, hac ratione os mihi acutum dedit, sed quemadmodum apud
Salomonem legitur: verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum
defixi. Non enim novi palpare hominum quamvis potentium vicia, sed
pungere, & obiurgare acriter, mortis discrimine contemptio. Hæc si de
se D. Ioannes taceat, tamen ex Evangelio planè discimus, vbi & ludæos
asperis reprehendisse verbis & Herodis adulterium non dissimulasse le-

Gregorius.
Ezech. 1.

Lucæ 1.

Obliuisci
quorumnam
Deus dica-
tur.
Ezech. 16.
Ibidem.

Eccle. 12.

Matth. 3. 12.
Marc. 1. 6.
Lucæ 3.

ces 4 gatur,

Viri sancti uti
verbis utan-
tur aculeatis.
Luca 11.

Hiere. 23.

Concionato-
res qui cur
paruum aut
nullum refe-
rant fructum.

Ioan. 8.

Thren. 2.

Luc. 24.

Ioannes Ba-
pista qui fu-
erit datus in
lucem genti-
bus.

Luc. 1. 3.

gitur, quæ res illi mortem conciliauit, non ferente impiissima Herodiade sancti viri æquissimam & amantissimam reprehensionem. Ita nimirum sanctorum virorum dicta habent suos quosdam acutissimos aculeos, quibus sæpe etiam adamantina hominum pectora compungunt. Neque id mirum, quando non illi loquuntur, sed per eos Christi spiritus sua verba resonat. Vnde apud Hieremiam Dominus dicit: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* id est, saxea pectora. Quæ verò multi hodie licet buccis crepitantibus pro concions ad populum, Dei verbum prædicent tam paruum referunt fructum, nisi quod è suo frigido & arido pectore, non ex sancti Spiritus feruore & charitate loquuntur. Quod si illo spiritu pleni essent, possent & ipsi cum sancto Ioanne dicere: *Posuit os meum corda haud sacra, quam quibusdam mucronibus penetrarent, & ad vitam in melius commutandam compungerent.*

Dicit porro S. Ioannes: *In vmbra manus suæ protexit me, diuinæ gratiæ suæ vndique me cingens adiutorio, vt nullis neque demonum, neque hominum insidijs aut afflictionibus potuerim euerri.* Et posuit me sicut sagittam electam, qua corda hominum à veritate ad vanitatem misere auctorum efficacissimè transfigeret. In pharetra sua, id est, diuina virtute sua abscondit me, ne vllis hostium tartarcorum insidijs paterem, multis quoque annis in eremo tanquam tutissimo asylo abscondit me hominum aspectibus, ne quam ex illorum conuictu maculam contraherem, donec tandem tempore ab æterno præstituto, me ad homines conuertendos tanquam sagittam è pharetra emisit. Et dixit mihi: *Seruus meus es tu Israel: non vtiquet talis seruus, de quali Dominus dicit: Seruus non manet in domo in æternum, sed seruus fidelis ac pius, & verus Israelita ob crebram, imò assiduam diuinitatis contemplationem, cui in solitudine semper deditus fui, iuxta illud Hieremiæ: *Sedebit solitarius & tacet, quia tenuit se super se ad contemplanda diuina & cælestia.* In te, inquit, glorificabor, & per te gloria, & maiestas diuinitatis meæ hominibus annunciabitur ac innotescet: atque illi ad me conuersi, honore & gloria me afficient. Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruus sibi, quando intra ipsa materna viscera tanquam futurum athletam suum me vnxit spiritu suo & induit virtute ex alto, vt officium ab ipso mihi demandatum dignè possèm exequi, & aduersus acies inimicas viriliter dimicare. Dedi te in lucem gentium. Hæc quantum ad D. Ioannem attinet, synecdochicos dicuntur: Nam Iudæis Ioannes veram lucem Christum annunciauit: non item cunctis gentibus. Quamquam etiam verè potest dici datus in lucem gentium ob verba illius ab Euangelistis commemorata, quæ in hanc vsque diem cæcis mentibus lucem adferunt, dum ad agendam penitentiam peccatis excæcatos vehementer extimulant, atque eo ipso salus, id est, salutis nuncius & præco est Deo vsque ad extremam terræ. Reges videbunt illuminati à Deo, & consurgent principes, fide Christi suscepta, vt illum etiam externo cultu venerentur, & adorabunt Dominum Deum tuum, quem tu beatissimè Ioannes prædicas, & ad illum digere recipiendum viam paras in deserto, adhortans omnes vt penitentiam agant, dolentque te pessimum offendisse Deum, qui tamen fidelis est, imò vero*

verò fidelitas ipsa totum se mortalium saluti impendens, neminem vnquã fallens, vehementissimè sitiens salutem animarum, ac amantissima fide & fidelissima charitate paratus opitulari, misereri, succurrere omnibus ipsius opem poscentibus. Quod magnam debet omnibus præstare fiduciam, vt discant semper de Domino sentire in bonitate, & de illius benignitate nunquã diffidere. Sunt enim multi pusillanimes qui sæpè grauib; & molestis implici tentationibus, simul etiam vt de Deo malè sentiant, incitantur. Sed cogitent issemper quia Deus fidelis est, & amat animas, quas redemit sanguine suo. Adorabunt etiam sanctum Israel, Deum plebis Israeliticæ sanctificatorem, qui elegit te non qualitercunque, sed certè præclarè valde, vt de te piè sentiant multi in superbissimi Luciferi locum te successisse. Vtinàm beatissimè & reuerendissimè patriarcha tuis exuberantissimis meritis & flagrantissimis precibus eius nobis gratiã concilies, qui te tam excellèter elegit.

EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO.

Lucæ primo.

Sicut inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: ita nulli omnino inter natos mulierum hic ab Ecclesia delatus est honor, vt eius natiuitas celebretur. Magna dignitas, sed sic placuit Deo honorare præcursores suos. Impletur vsque in hanc diem, quod patri eius Zachariæ Angelus prædixerat, gauisuros multos in eius natiuitate. Namque toto orbe Christi Ecclesia diem ortus eius festiuum ac celebrem ducit, & laudat regis munificentiam in suo milite, solenni què officio persoluit Deo cantica lætitiæ & gratiarum actionis, tum quod tot præclaris affecerit gratiæ suæ prerogatiuis Baptistam suam, tum quod eodem nascente propinquare cœperit nostræ salutis tam diu quæsitæ, expectatæ, & votis ac suspirijs ardentissimis implorata restauratio. Ingressitur hodierna die in hunc mundum nouus Lucifer, multo illo priori illustrior, qui non contentus diuinitus sibi collato honore, ad æqualitatem Dei suo malo aspirauit. Itaque si ad ortum solis cunctorum exhilarantur corda mortalium, cur non multo magis gaudeant prodeunte in mundum æterni solis nuncio ac præcursores? Verè magnus es S. Ioannes, & ita magnus, vt mortalis cuiuscunque nendum sermo exprimere, sed neque mens capere possit. Tu enim es Propheta altissimi, & plusquam Propheta, tu sanctus antequam natus, tu adhuc intra materna detentus viscera mundi Saluatorem toti mundo incognitum agnouisti, tu speculum innocentie, norma pœnitentiæ, virtutis specimen, iustitiæ forma, pudicitie titulus, Saluatoris nuncius celsior, præco verbi, Euangelij lucerna, legis terminus, agni immaculati, qui suo sanguine peccata eluit, baptista, martyr insignis: denique homo sanctissimus & excellentissimus es. Sed nunc dilectissimi his in tanti patriarchæ laudem exiguam obiter præmissis, ad Euangelij considerationem procedamus. Ait enim Euangelista Lucas:

In illo tempore, Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

Venerabilis matrona Elizabeth non casu, sed diuina ordinatione diu
 fff sterilis,

Fidelitas Dei
erga homi-
nes quanta.

Sapient. x.

Math. ii.

Lucæ i.

Lucæ i.

Math. ii. 3.

Ioan. i.

Ioannis Ba-

ptista præco-

nia quæ sunt,

præstantia.

sterilis, vt partus illius esset mirabilior, tandem ex Dei pollicitatione concepit & peperit filium. Iam multis annis portauerat opprobrium sterilitatis & legis maledictionem, sed quantum ea res illi probro fuit apud carnalem illum populum Israel, tantum ei honoris & ornamenti attulit filius in senectute genitus, vtpote qui neminem habuit inter natos mulierum se excellentiorem. Gaude beata & reuerenda matrona Elizabeth: ecce natus est tibi vetulæ ac desperatæ filius, qui sua prædicatione suisque exemplis multos Deo adducet filios: & qui tibi est vnigenitus, plurimos Deo filios igniti adhortationibus, & sanctissima vita sua generabit. Non tibi sit pia mater pudori aut dolori, quod diu nullum omnino, & nunc tandem præter spem hunc vnicum peperisti. Nam quanto tu sterilior, tanto ille fecundior: & quo maior tibi fuit confusio apud gentes tuos Iudæos non auxisse numerum populi verum Deum colentis: tanto nuac beator prædicaris, & maiori gloria extolleris, quod filium genueris, qui plurimos, filiorum Israel conuertit ad Dominum Deum Patrem ipsorum. Certè mirum est charissimi, si ad humanum morem spectes, parentes illos tot annis steriles filium edidisse. Atqui non id opus naturæ fuit, sed gratiæ. Mundi Saluatorè mirando annunciare debebat Ioannes. Quis illi fidem adhibuisset, si nò mira quædam, & quæ naturæ vsum excederent circa illum contigissent? Quod ex sterilibus nascitur, totum gratiæ est: sed Deo tam facile est ex sterilibus, acq̃ ex fecundis proles creare. Tamen humano more id profus inusitatum est, vt sterilis & senex pariat, cui etiam si ætas suffragaretur, tamen sterilitas sola satis impediret: aut si hæc abesset, tamen senectus obstitere. Agnoscamus ergo & in conceptu, & partu Ioannis gratiam Dei, & beatissimum parvulum ex matris utero procedentem exultantibus animis & congruo honore exoptamus, matrisq̃ sterilitatis opprobrio liberatæ ex animo congratulemur: vna cum vicinis & cognatis eius, de quibus sequitur in Euangelio:

Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Id enim maximè est secundum naturam, vt proximorum bonis lætemus & congratulemur, malis autem ex animo condoleamus. Vicini & cognati Elizabeth non ignorantes eam sterilem semper fuisse, & iam ætate præputam, congratulantur ei, quia præter consuetudinem, & supra naturæ vsum Dominus magnificasset, id est, magnificè & excellenter in eam declarasse misericordiam suam. Non enim potuisset vnquam prolem mundo prodicere, nisi singulari gratia & beneficio Dei. Ergo diuinæ pietatis agnoscenti munus, congratulabantur ei, ita vt Angelus prædixerat, quod multi in eius natiuitate gauderent. Sunt inuidi quidam, qui dum proximis res ex sententia succedunt, torquentur & dolent, in quos rectè dictum illud competit. Inuidus alterius macrescit rebus opimis. Quod est vitium planè diabolicum. Dic quaeso Inuide: Quid tibi oberit, si alteri bene sit: aut quid proderit tibi, si illi malè sit? Si bonus es, nihil tibi nocet illius prosperitas, sed dolet tibi eius aduersitas. Si autem malus es, vt reuera es, malitia tua tibi officit, non illius prosperitas. Pelle inuidentiæ virus ab animo tuo, & erit tibi voluptas, si ille bene habuerit. De hac peste sententia memorabili D. Chrysostomus

Math. 11.
Elizabeth
quàm gaudiij & honoris accreuerit ex natiuitate suæ proli.

Luc. 1.

Ioannem Baptistam natum ex sterilibus parentibus totum fuisse diuinæ gratiæ munus.

Leo. 1.

Inuidiam esse vitium plane diabolicum. Horatius.

Chryso.

mus ait: O zelus, ô inuidia omni malicia cumulata. Inuidia ignis inextinguibilis est. Etenim sicut tinea comedit vestimentum, sic inuidia eum qui zelatur, consumit: eum autem cui inuidet, clariorem reddit. Itemq; Inuidia passio fornicatione & adulterio multo est deterior. Et Diuus Augustinus libro de doctrina Christiana: Auertat Deus, inquit, inuidia pestem ab animis omnium, nedum Christianorum. Vitium enim diabolicum est Inuidia, quo solo diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Ergo charissimi, ne tam execrando crimine nos inquinemus, potius aliorum felicitati congratulemur. Omnes vnus carnis membra sumus. Sicut ergo dum quippiam in corpore patitur membrum vnum, compatiuntur omnia membra: siue dum gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: ita & nos qui sumus corpus Christi & membra de membro, aliorum felicitati congratulemur, & afflictioni condoleamus, ne cum impijs liuore tabescamus.

Inuidia proprium quid.

Augustinus.

Ephes. 5.
1. Cor. 12.

Et factum est, in die octauo venerunt circumcidere puerum. Et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.

Vetus apud Hebræos mos fuit, vt masculi omnes circumciderentur. Et id primum Abrahæ à Deo præceptum est. Illi namque datum est Testamentum circumcisionis: quod postea lege Mosaica repetitum est. Valuit autem circumcisio contra peccatum originis: sicut apud nos baptismus. Et sicut hodie dum baptizantur paruuli nomen accipiunt: ita olim cum circumciderentur. Vnde appellabant beatissimum hunc infantem nomine patris sui Zachariam. Id namque consuetudo obtinuit, vt filij maximè vnigeniti patris nomine vocentur. Faciebant vicini & cognati S. Elizabeth quod ipsis videbatur, necdum cælestis mysterij conscij, quo iam pridem diuinitus illi assignatum erat vocabulum, quod humano mutari consilio vel arbitrio nõ deberet. Itaque videns S. Elizabeth eos à Dei voluntate in imponendo vocabulo discordare restitit illis, vt pote quæ sicut D. Ambrosius ait, spiritu prophetiæ didicerat, qui vocandus esset: nec poterat ignorare prænuncium, quæ prophetauerat Christum.

Genes. 17.

Exod. 13.

Leuit. 12.

Circumcisio

quid valuerit,

cuius quæ

rei fuerit figura.

Nomina quæ

do infantibus imponi

consueuerunt.

Nomen patris vnigenitis imponi

consueuerunt

vt fuerit ludæis.

Ambrosius.

Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

Non vacat à mysterio, quod id nominis sacratissimo huic paruulo ex diuina reuelatione inditum est. Quæ enim diuinitus quibusdam imponuntur nomina, semper eximium aliquod donum vel munus eis collatum significant. Ioannem quidam ex Hebræo vertunt, in quo est gratia Dei. Quæ cum multiplex & cumulatissima fuerit in Domini præcurfore, rectè vocatus est Ioannes. Neque ob id tantum, sed etiam quia tempus gratiæ inchoauit. A diebus enim Ioannis Baptistæ cepit regnum cælorum vim pati, & rapit violenter, quod ad id temporis omnibus, quantumcunque iustis clausum fuit. Inde est dulcissima illa eiusdem in deserto prædicantis vox: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Aperte: gigitur dictus est Ioannes, qui mundo sub graui ira Dei laboranti, ac ab illa superna Hierusalè miserabiliter exulati gratiam per Christum restituendam, conciliandamq; annunciauit: id quæ non vt ceteri prophetæ de longinquo & obscuris sententijs, quæ tum ad certi temporis expressionem attinet, sed planè & manifestis in-

Ioannes quid sonet.

Ab ortu Ioannis Baptistæ

vti tempus gratiæ fuerit inchoatum.

Matth. 11.

Lucæ 10.

Matth. 3.

Marc. 1.

Lucæ 3.

stis indicijs, quando etiam ipsum gratiæ autorem nedum verbo prophetauit, sed digito demonstrauit. Quanta autem in illo gratiæ fuerit plenitudo & excellentia, quæ alia causa est nominis illi impositi, etsi nemo dignè capere potest, si quis tamen vel tenuiter nosse velit, Euangelistas legat. Inueniet ibi ab ipso Christo in fallibili iudice tantis eum celebrari encomijs, vt vix possit maioribus. Sed mirum videatur quibusdam, cum tanta in eo Dei gratia fulserit, cur omnem ætatem in deserto solus exegerit, cur non vrbes concitandi gratia peruagatus sit, vt plurimos lucrifaceret. Verum quanto illa maiora perceperat diuinæ gratiæ munera, tanto magis conatus est ea conseruare. Et quia difficillimum esse nouerat in hominum turbis innocenter & purè viuere, solitudinem expetiit, vbi à peccandi occasionibus seuis, Deo & cælestibus perpetim esset intentus. Quid hic dicturi sunt soliti homunciones & miseri, qui cum sint in vicia nimium procliues, tamen quandoq; videant nonnullos monasticæ vitæ aliquod subire instreum, aut alioqui abstractam ab hominum familiaritate vitam agere, irrident eos & aiunt: Num soli monachi salui futuri sunt? Nonne maioris virtutis & meriti est inter malos bene vixisse? Deus cor inspicit, non exteriora. O soliti quid dicitis? Christus Deus verus fugit hominum confortia, non quod haberet opus, sed vt nobis fugienda monstraret. Item D. Ioannes Baptista, & alij innumerabiles sanctissimi homines fugerunt peccandi occasiones, & vos in medijs periculis iam naufragio proximi, aut etiam fluctibus immissi, tam vultis esse securi? Itaque bonum & laudabile est, hominum confortia tanquam pernitiōsa vitare. Et quidem certo certius est, peccandi occasiones fugiendas esse. Quicquid id est, quod ad peccandum te pertrahit & impellit, siue sit pater, mater, frater, soror, diuitiæ, honores, aut quæuis alia, fugienda necesse est. Quod si fugere nolis quæ Dei gratiam à te excludunt, absque vilo dubio gratia procul fugiet à te. Sed his obiter dictis, ad Euangelium redeamus. Sequitur:

Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius.

Cognati S. Elizabeth legis & gentis suæ morem seruare cupientes, reprehendunt eam, tanquam quæ à patrum consuetudine recedat: neque intelligunt, non muliebri leuitate, sed sancti Spiritus instinctu eam pueri vocabulum expressisse: sicque ad patris putant arbitrium recurrendum. Potest hæc res mysticè significare, Iudæos pertinaciter literæ legis semper inhaerere maluisse: fructum autem spiritus non experijisse, cum tamen ipsa lex non nisi vmbra quædam fuerit futurorum. Iudæi legis verba semper allegant, quæ tamen non intelligunt. Sic etiam hic cognati S. Elizabeth patrum morem putant obseruari oportere. Sed Deus Omnipotens legem quoadquæ abolerè volens, nouum apud Hieremiam Iudæis testamentum promittit, quæ est lex gratiæ: quam quia Ioannes prædicare mittebatur, non debuit iuxta legis morem, sed diuinæ gratiæ arbitrium nomen accipere. Siquidem diuinæ gratiæ potissimum ascribendum est, quod saluamur.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Ioannes Baptista cur hominum turbas fugerit.

Quam sit difficile inter hominum turbas innocenter viuere.

Confortia hominum quanto opere fugienda.

Hebr. 10.

Hiere. 31. Hebr. 9. Nominis precusori imponendi ratio mysticè quæ.

Obiter etiam aduerti hic licet, quod sicut nominis assignandi ratio, quae apud Iudaeos inoleuerat, in Ioanne seruata non est, ita hoc ipso significatum sit, ab eius ortu legem abolitam iri. Videamus nunc quid Iudaeorum pertinacia profecerit. Sperabant patrem Zachariam ipsis assensurum. Itaque innuebant patri infantis, quem vellet vocari eum. Sic etiam impij Iudaei semper à matris Ecclesiae definitione, ad patrum suorum instituta recurrunt: qui tamen ab eis maximè dissentiunt, & cum Ecclesia consentiunt, sicut & Zacharias cum Elizabeth, qui postulans pugillarem, id est, tabellam ceream, aut alterius materiae, in qua stylo verba exarantur, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Tanquam diceret: Non est opus, neque fas, vt humana consuetudo, aut patrius mos illi vocabulum tribuere velit, qui iam à Deo appellatus est nomine suo. Neque nos illi nomen imponimus, sed quod à Deo accepimus, enunciamus. Vbi simul potest aduerti, quam vbique sibi concordet Spiritus Dei. Zacharias & Elizabeth ambo erant pleni Spiritu sancto: itaque etiam idem sentiunt. Timeant ergo, qui dissensionibus dediti sunt, ne hoc spiritu vacui sint.

Pugillaris quid.

Et mirati sunt vniuersi.

Mirantur homines vt homines: quia ignorabant, quid circa infantè diuinitus ageretur. Mirantur patrem cōsentire matri, vt vetus consuetudo negligatur. Sed si sciuisent consilium Dei, venerati potius essent, quàm admirati.

Apertum est autem ilico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

Prædixerat Angelus Gabriel Zachariae, quod ob incredulitatem suam mutus esset donec quæ audierat, impleverentur. Non enim volebat Deus iustus & rectus in tanto pontifice inultam relinquere hanc dissidentiam, quae de Dei promissis hæsitabat. Ita enim plerunque Omnipotens Deus in electis suis cito vlcisci solet errata illorum, nec permittit eis impune cedere, si quid vel tenuiter deliquerint: cum tamen impios sæpè sinat in suis flagitijs secundum degere aetatem. Quo facit etiam memorabilis illa sententia libro secundo Machabæorum commemorata in hæc verba: Etenim multo tempore non finire peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium. Atque ea de causa sanctus Pontifex ilico peccatam sensit dissidentiz suæ: quæ tamen quandoque finem haberet. Iustus erat, ideoquæ noluit Deus huius culpæ in eo hæzere maculam, sed statim vltionem adhibuit, ne quid haberet intra se, vnde minus placeret Deo. Multi hodie putant optimè secum agi, & Deum se valde habere propitium, cum eis omnia læta & tranquilla eueniunt, etiam malè viuentibus. Sed nimirum ij vehementer errant, & periculosissimam ducunt vitam. Si enim iuxta Prophetæ sententiam multæ sunt tribulationes iustorum: & Dominus quos amat arguit & castigat, quomodo possunt rectè habere, qui etiam in suis maleficijs parum aut nihil aduersi experiunt? Timeant quotquot eiusmodi sunt, se idcirco in præsentia vita impune euadere, vt in futura atrocius absque vlllo sine puniantur. Sed venerabilis pontifex Zacharias humana infirmitate cunctantius fidem Angeli verbis adhibens, atque ea de causa percussus

Lucæ 7.

Electorum errata vti Deus misericorditer corrigat. 2. Mach. 6.

Psalm 33. Apoc. 4. Malos hic impune delinquere quæ sit damnationis futuræ indicium.

fff 3. silentio



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

silentio diuturno, nato atque circunciso Ioanne, preceptæ vocis beneficii recuperavit, & os quod prius incredulitas frenauerat, natus infans referauit, moxq; ora diu tacentia in Dei laudem proruperunt: Quid ni enim benediceret Deum, qui tam euidentia, stupendaq; eius opera agnoscebat? Prius quidem obmutuit, non accommodans fidem dictis angeli, sed mox ubi reddita illi loquendi facultas est, in Dei laudes prorupit. Quæ re nos admonemur grates, laudesq; Deo agere nos debere, quando aut à malis liberamur, aut eius beneficijs augemur. Alioqui ingratitude, quod est Deo valde iniustum vitium, rei tenebimur. Sed visis tot prodigijs.

Factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Mirari ac timere quando solcant homines.

In rebus nouis, ac præter vsitatum morem accidebant admiratione digna. Itaq; vicini omnes timebant, nescientes quid portenderent ea quæ fieri cœrebant. Euidencia diuinæ potestatis argumenta complura visabantur, idq; cœlestis mysterij ignaris metum incussit. Mox autem cuncta hæc per loca circumadiacentia diulgabantur: & alij alijs, quæ vel viderant, vel audierant, enarrabant, idq; non sine occulta Dei operatione & dispensatione, vt maiorem haberet fidem apud omnes, quæ multorum testimonio firmaretur. Sic fides nostra clarissimis semper fulta testimonijs est, & nihil apud nos suspensum, nihil obscurum, nihil commentitiū est. Qui credere non vult, suo ipsius iudicio condemnabitur, quia indubitata noluit veritati cōmodare fidem, cum tota ethnicorum superstitiosa persuasio, non nisi euidentissimam atque vanissimam mendacijs subnixam sit: hæretici quoq; non nisi sui captiui adinventionibus, publica & vbique gentiū recepta veritatis assertionem contempta, sese tueantur. Porro, vicini S. Elizabeth suis hæc mentibus condita seruabant, dicentes: Quis puras puer iste erit, circa quem tot præclara eduntur miracula: & qui manifesta naturæq; modum excedenti Dei virtute operatione illustratur?

Et Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ,

Spiritu sancto repletus Zacharias quomodo dicatur.

Superius hoc eodem capite scripserat S. Lucas, Zachariam virum iustum fuisse. Iustus autem esse non potest, nisi qui Spiritu sancto præditus sit. Cur ergo hic eum dicit impletum Spiritu sancto? Intelligendū est abundantiori Sancti Spiritus gratia eum repletum. Nanque & prophetiæ munus accepit. In quo diuinæ pietatis est declarata benignitas, quando non solum muto seni loquelam reddidit, sed etiam nouam addidit prophetandi gratiam. Ita semper Deus pro sua benignitate paratissimus est ignoscere penitentibus, imo & gratiæ suæ dona cumulare, modo ex animo nos deliquisse doleamus. Ait autem Zacharias: Benedictus Dominus Deus Israel. Sola plebs Israelitica verum colebat Deum: quam ob rem Deus Israel

Deus cur subinde vocetur Deus Israel.

us in sacris literis vocatur: quia visitavit & fecit redemptionem plebis suae. Lam longe ante promiserat per Prophetam suum, dicens: *Ecce ego ipse requiram oves meas & visitabo eas.* Visitavit Dominus oves suas, quando formam serui suscepit factus homo propter perditum hominem liberandum. Et fecit redemptionem plebis suae, quando nos non corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sanguine suo redemit, non à temporaria seruitute vel morte, sed æterna.

Ezech. 34.
Philip. 2.
1. Pet. 2.

SERMO I. IN EADEM SOLENNITATE.

Quomodo sanctus Ioannes ardebat & lucebat, & de quadruplici hominum conditione.

Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ioannis V. Beatissimi Ioannis patriarche, prophete, martyris, anachorete (vt cætera eius insignia taceam) festiuitatem celebrantes fratres charissimi, non tantum illius gloriæ satagimus gratulari, verum quod profectui etiam nostro vti cunctorum Christi fidelium, non nihil inde nobis querimus vendicandum: quod tum potissime fit, dum vitam illius recolentes, quicquid ibi laude dignum veneramur, pro modulo nostro itidem gestimus imitari. Incitat autem nos ad hæc, quod cum omnium non solum monachorum sit princeps Ioannes, omnium anachoretarum dux, omnium eremitarum cenobitarumq; pater & patronus, verum omnium Christicolarum institutor, magister & legifer. Quamobrem perpulchre conuenit ei veritatis testimoniū (tam gloriosum, quam ab adulatione aut deceptione alienum) quo dicitur: Ille erat lucerna ardens & lucens. Vbi ordo quoque verborum haud ociosus censeri debet: primo ardore, postremo vero lucē commemorans. Duo etenim hæc de illo prædicantur, videlicet quod arserit & luxerit. Vbi tamen non ante luxisse, & postea aruisse dicitur: sed quia in se ardebat, lucis radios in cæteros quoq; emisit. Ardebat haud dubiū sibi, lucebat nobis. Quod vt magis liqueat, considerandū quatuor hominum inueniri genera. Quidā enim lucent, sed non ardent: nonnulli ardent, & non lucent: Alij & ardent & lucent. Rursus sunt cōplures, qui neq; ardet, neq; lucent. Et hi nouissimi peccatorū magis tenebras amant, quam lucem: quorum opera neq; charitatis in se continent feruorē, neque virtutis specimen præ se ferunt: atque ideo nihil hic de illis dicendum. Verum, sunt alij (vt dixi) qui lucent, quum non ardeant: ij sunt quorum opera virtutis quidem speciem habent, qua (vt plerunque fit) ab hominibus magnificantur, verum à charitatis feruore sunt aliena, propterea quod facum dant taxat virtutis ipsius superducat, aut metus, aut reuerentia hominum, aut animi bene morati naturalis honestas, aut fictæ mentis quæ pietatis ostentatio, aut alia quavis impura intentio. Ad eorum numerum colliguntur (vt verbis vtar Bernardi) qui conscientias suas in aliorum labijs posuerunt: quorum lux non solaris, sed lunaris est, quæ modo plena, modo exigua, modo nulla videtur: ita & illi modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, aut vituperare eos placuerit, aut laudare. Tales erant pharisæi & hypocritæ lumina, scilicet in oculis hominum, quos tamen Christus arguens seuerè, sepulchra dealbata appellat.

Ioan. 5.

Hominū genera quatuor quæ sunt.

Neque ardentes neque lucentes qui.

Lucentes, sed non ardentes. Bernard.

Matth. 23.

fff * Hos

Hoc modo lucebat eremita ille (vt in Vitis Patrum legitur) cuius merito sanctitatis putabatur omnis illa circumiacens regio feruari, qui tamen moriens (dum populi vexillis & processionibus ad eum confluentes velut sanctissimo viro, sine quo viuere metuebant, sese commendarent) ipse à demonibus deportatus est in infernum: quippe qui alius in hominum, alius in Dei oculis reperiebatur. Non longè ab hoc ordine sunt qui exterioribus tantum cæremonijs compositioni morum, magnis abstinentijs, frigidæ lectioni, multis precibus, & alijs eiusmodi externis duntaxat exercitijs alioqui in se bonis & sanctis insudât, adeo pro illis zelantes, vt veras virtutes propterea penitus negligant. Hi itaque solis exterioribus, quæ bonis malistq; sunt communia contenti, interiorem hominem (ad cuius reformationem externa omnia ordinari debuissent) interim seruire vitijs & passionibus sinunt. Veruntamen dum per hæc externa (quibus vulgo inesse zelant sanctitatem) foris lucent, interdum ipsi quoque, licet veteri adhuc homine stante incolomi, sanctitatem sibi arrogant, vtpote qui ad exteriora sua quæ alij mirantur, tantum respicientes, quid intus sibi desit nō animaduertunt. Verum de huiusmodi quid Apostolus pronunciet, constat: *Silangis*,

1. Corin. 13.

inquit, *hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factum sum velut as sonans, aut cymbalum tinniens, &c.* prosequens adhuc alia ardua & sublimia, quæ in oculis quidem hominum sunt magna ac lucida, verum nisi charitate simul ferueant, ante Deum sunt nulla. Adde igitur charitatem, & erunt valde bona: sic tamen vt media & instrumenta ad meliora. Sunt præterea tertio ordine, qui ardent, & non lucent, vtique quorum lucerna modum super candelabrum, sed sub modio posita est, qui lumen suum celant, metuentes à vento inanis gloriæ aut humanæ laudis illud exuffari. Hi sunt, qui vilitatem propriam ante oculos habentes, quicquid faciunt, non tale quippiam æstimant vnde possint alij ædificari: hoc vnum impensius curantes, ne à feruore in teporem vix vnquam curabilem decidant, sed quæ habent humilitate custodiant. At vero qui supra candelabrum locari anhelant, zelo quo dam animarum licet immaturo allecti, vt alijs quoq; luceat,

Bernard.

Math. 13.

in eos quodam loco deuotus Bernardus sagacissimus vitiorum explorator, trañans verba quædam Esaia, inuehitur dicens: Quid lucere festinas? Non dum enim illud aduenit tempus, in quo tulgubunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi: feruere enim multo melius. Denique, si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato: & primum quære feruorem, nec dubium quin & splendor adijciatur tibi. Alioqui incassum laboras, quia vanus splendor absque feruore. Mutuata aut certè simulata lux est, quæ non ab igne procedit. Hæc ille. Offert se nunc postremo quartus hominum ordo, priores consequens: in quo sunt qui ardeant simul & luceant. Ardent intus spiritu charitatis, & foris exemplo feruoris lucent. Horum omnium longè præstantissimus fuit Christi Baptista Ioannes, cuius triplicem ardorem, triplicemque lucem sermone quodam luculentissimo & lectu digno B. Bernardus describit: Ardebat namque in seipsum, in Christum, & ad proximum. Ardorem eius in seipso testantur circumspectio sui prouida, & penitencia vehementer austeri. Quæ nobis quomodo luceant, quomodo ve ad imitandum alligant,

Ardentes simul & lucentes.

Bernard. Ardor ioannis triplex quomodo nobis luceat.

ceant, videamus. De sanctis parentibus natus Ioannes, idemq; Spiritu sancto plenus, infra zratem denique (quæ seculo possit inquinari) constitutus non modo carnis illecebras, verum parentes etiam, cognatos, ac mūdum vniuersum abdicans, confestim ad eremum confugit. Vbi pœnitentiam si- bi arctissimam, non ad eluenda, sed cauenda peccata instituens, neque manducat neque bibit, & cætera, quæ vel Euangelista, vel Christo enūciante didicimus, obseruat. Quod igitur puer pene infans ad eremum se recipit, delinquendi occasiones (tameñ gratiam diuinæ benedictionis super se non ignoraret) euitans, quid aliud hoc ipso nos docet, quam neminem ita de diuina gratia debere præsumere, neminem adeo se diuina custodia munitum credere, vt gratiæ soli innitens, timorem, studium, industriam propriam velut securus omniaq; deponat? Quamuis enim præcipuum hoc diuini sit muneris, vt peccatis abstinentes, bonum operemur, absq; tamē proprio conatu & studio, neque aduenit, neque manet virtus, quin etiam nec gratia perseuerat. Hoc pensabat B. Ioannes puer ad eremum confugiens. Sentebat id ipsum sanctus quidam (ni fallor) beatus Rogerius, ordinis diui Francisci, castitatis dono tam excellenter, quàm singulariter præditus. Hic tameñ citra nauseam non posset mulieribus loqui, atque etiam si quando loqui cogeretur, castior rediret: nullius tamen sceminæ, atque ne matris quidem (licet admodum & sanctæ & vetulæ) vultum voluit contueri. Qui eum tam arctam se sibus suis custodiam indixisset interrogatus (quippe qui diuinum in se castitatis munus sentiret, abessetq; periculum) respondit tamen in homine gratiam perseuerare, custodiaq; Dominica hominem non deseri, quanto sibi tempore vigilaret, ipso faciens quod in se est, & delinquendi pericula, occasionesq; euitans. At vero si circa seipsum negligens cœperit fieri, & quæ potest, cesset facere, amplius Deum non habebit custodiæ debitorem, quin potius iustum erit illum suis viribus derelinqui, quibus ne ad momentum quidem stare poterit illæsus. Huius itaque & maxime Ioannis vigilans ac prouida sui circumspectio docet nos imbecillitatem propriam indefinēter expertos, nobis ipsi inuigilare, delinquendiq; occasiones aut emendare, aut rescindere. De hoc satis. Porro, quantum ad austeritatem pœnitentiæ beati Ioannis attinet, quomodo & hæc nobis lucet mellifluus explicat Bernardus, dicens: Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine mirare pœnitentiæ feruorem. *Vidum & amidum*, ait Apostolus, *habentes, hu contemni sinus*. Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes etiā contempit. Denique audi Dominum: *Venit, inquit, Ioannes non manducans nec bibens*, plane nec vestiens. Sicut enim nō est locusta cibus nisi aliquorum fortē irrationabilium animalium: sic nec pilus cameli humanū est indumentum. Incentiuum id mihi est feruoris, & materia humilitatis. Quis enim in nobis est, fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicuius saltem momenti æstimare præsumat? Quis audeat murmurare in laboribus suis & dicere, Satis est, quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut flagitia sic puniebat Ioannes in seipso? Accendamus ad pœnitentiam, fratres, & quicquid in nobis minus est feruoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Hæc ille. Sequitur au-

Circumspectio Ioannis prouida qui luceat nobis.

Lucæ 7.
Marth. 1.
Marc. 1.
Lucæ 1.

Præsumendā non esse de diuina gratia

Paradigma.

Castitas B. Rogerij singularis.

Gratia custodiaq; diuina quæ diu peueniret in homine.

Occasiones peccandi rescindendas esse.

Pœnitentiæ B. Ioannis quæ austerior fuit. Bernardus.

1. Tim. 6.
Lucæ 7.
Marth. 3.

Matth. 11.

Zernor Io-
sonis ad
Christum.

Humilitas
Ioannis qua
ta fuerit.

Bernardus.

Ioan. 1.
Matth. 3.
Luc. 3.

Deuotio Io-
nis ad Chri-
stum quanta
fuerit.

Luc. 1.
Matth. 11.
Luc. 3.

Feruor Ioan-
nis ad pro-
ximum.

Matth. 3.
Luc. 3.
Marc. 6.

tur autem nunc feruorē ioannis considerare ad Christum. Atque hunc indi-
cant nimirum deuotissima ipsius humilitas, alacritas, ac plane feruidissima
pietas in eum. Humilitas sanè vel hinc nobis manifesta est, quod cum tan-
tus esset vt putaretur Christus, corrigiam calciamentorum eius soluere in-
dignum se profiteretur, quod eundem baptizare trepidat, quod denique, inter
fulgidissima lucerna ardens & lucens, ante oculos hominum, sicut non op-
petit, ita se lucere nescit. De hoc Bernardus: Lucet, inquit, Ioannes, tanto
tisque clarius, quanto amplius feruet: tanto verius, quanto minus appetit
lucere. Fidelis lucifer, qui Solis iustitiæ non vsurpare venit, sed præuenit
aut splendorem: Non sum, inquit, ego Christus. Venit fortior me post
me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamenti. Et illud: Ego
baptizo vos aqua: ille vos baptizabit Spiritu sancto & igne. Ac si man-
sisset lucifer dicere videatur: Non sum ego sol. Longè alium videbitis eum,
in eius comparatione tenebra sum, & non lux. Hæc ille. Jam verò & hinc
deuotionem eius feruentissimam ac pietatem in Christum sentimus. Cle-
rius autem si ipse necdum nati in vtero ad Christi præsentiam exultatis
motum & iubilum recellimus, si de voce sponsi gaudium eius animadu-
uertimus, si denique commendationem & prædicationem eius de Chri-
sto attendimus. Quæ certè omnia nobis lucent: quandoquidem nisi he-
cerent, non animaduertēremus. Restat igitur nunc tandem feruorem eius
ad proximum considerare, quem zeli vehementia, iustitiæ amor, & veri-
tatis vique ad mortem susceptam constantia indicauit. Arguebat iudeo-
rum duritiam, non parcebat pharisæorum arrogantia, Herodis lasciuiam
indecipabat. Non illi cultus deserti, non singularitas propositi, non regni po-
tentia, neque exhibita sibi reuerentia, non minax aduulterz crudelitas, non
denique intentata mors poterant persuadere, vt animarum periculum po-
stitit contemptum, Dei iniuriam dissimulans præteriret. Hæc, frater
charissimi, cuncta breuiter perstringens magis indicauit, quam expla-
ui. Faciat Deus vt in nobis aliquando inueniantur, quæ in beato Ioanne
modo veneramur, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum
Patre & Spiritu sancto viuunt & regnat Deus, per infinita seculorum se-
cula, Amen.

SERMO II. IN EADEM FESTIUITATE

*Ordines omnium Sanctorum vt D. Ioannes Baptista præcellat:
quoniam sit vsus baptismo, vt que nouem modis
fuerit singulariter magnus.*

Matth. 7.

Marc. 11.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Matth. XI. Multo
quidem fratres charissimi, ante natum Domini præcursores Ioannem,
cuius nunc solennitate lætamur, in veteri testamento commendatos læ-
gimus, sed neminem perinde, vt eundem ipsum verbis Domini Iesu, qui
iam audistis. Laudatū à Deo Noe scriptura commemorat, quādo Dominus
ait ad illum. Te vidi iustū coram me ex omnibus gentibus. Moses item in-
signi affectus est laude, dicente de illo Dño ad Aaron & Mariam: Si quis
vos fuerit propheta, Domini, in visione apparebo ei, vel per somnū loquar ad eum.

non alius seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os lo-
 quitur ei. Itemq; Erat Moses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in
 terra. Dauidem etiam Dominus laudauit, dicens: Inueni hominem secundum
 cor meum Habet & S. Iob laudes suas, commendante illū Domino his ver-
 bis apud Satan: Nuncquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis ei in
 terra, vir simplex ac rectus, & timens Deum, & recedens à malo? In nouo etiā Te-
 stamento eximijs quosdam Dominus encomijs honorasse legitur, sed quæ
 non pertingant vsq; ad laudes Ioānis. Habes illic testimoniū Dñi de Natha-
 naele, quod fuerit verè Israelita, doli expers. Fit etiā ibidē honorifica men-
 tio Centurionis, affirmante Saluatore se tantam fidem non inuenisse in
 Israel, quantā in illo. Verū quamuis præclaræ sint horū laudes & encomia,
 nihil tamen habent simile laudibus S. Ioannis. Alij quidē ob peculiare &
 priuatas quasdam virtutes & excellentias cōmendati sunt: at Baptista Ioannes
 in cunctis fuit magnus, & in omnibus laudabilis: itaq; de eo solo dixit ve-
 ritas infallibilis: Inter natos mulierū non surrexit maior Ioanne Baptista. Tanquā
 diceret: Quamuis alij corā me magni sunt, nō tamen est quisquā maior Io-
 anne. Nam si laudatur humilitas, quis Ioanne demissior? qui non solū supe-
 rioribus, aut æqualibus, sed etiam inferioribus se postposuit, quando inter-
 rogatus à Iudæis, num Christus ipse foret, respondit: Nō: num Helias, respo-
 dit similiter: num deniq; propheta, idē responsum reddidit: cum tamē meo
 iudicio, qui non erro, quia veritas sum in spiritu & virtute Heliz ipse vene-
 rit, & non modo propheta sit, sed & plus quam propheta. Quod si prædica-
 tur castitas in quo tanta puritas, tanta relucet integritas atq; in Ioanne, qui
 non tactū solū, sed & aspectū fugit scēminarū, adeoq; in tenerissima ætate
 fugit in eremū mūdo penitus relicto? Si sobrietas, si abstinentia, si dura cor-
 poris afflictio lau. datur, vbi quæso similis inueniri potest illi, quæ fuit in Io-
 anne? qui penitentiæ deditā vitā ante amplexus est, quā peccatū perpetrā-
 set, quod esset penitentiā expiandū: vt vel hoc ipso tanto sit illius vitæ rigor
 laudabilior, quanto ipse innocentior. Et ne quis putet vulgare fuisse illi-
 us penitentiā, meminerit vt Euangelista testatur, cibū eius fuisse locustas
 & mel syluestre. Potus haud dubiè aqua fuit: totū corpus operuit ciliciū de
 pillis camelorum confectum, quod stringebat zona pellicea, vt fortius cor-
 pori adhereret, & carnem innocentem sua asperitate contereret. Sicutum
 illi fuit specus subterraneus, aut nuda humus. Denique annos XXV. ab ho-
 minum conuictu separatus, vixit solus in deserto. Iam si rectitudinis zelum
 & iustitiæ amorem spectemus, is quoque in Ioanne præcipuus apparet. In-
 de est, quod tam constanter pharisæorum superbiam, Iudæorum duritiā,
 & Herodis adulteriū reprehendit. Quæ res illi carcerem & morē pepe-
 rit, dum pro iustitiæ & castitatis patrocinio ac defensione neci datus est. Ea de
 re in scriptura lucerna ardēs & lucens appellatur. Porro excellētē eius pa-
 tientiam & mansuetudinē haud obscure declarauit Dominus, quādo mor-
 tem illius non sine gemitū commemorans, ait ad discipulos suos: Helias iam
 venit. (Ioannem intelligi voluit) & fecerunt in eo quacunq; voluerunt.
 Denique alij sancti, singuli singulos ferme habet gradus & ordines quan-
 do alij sunt Angeli, alij Apostoli, alij Euangelistæ, alij Martyres, &c. Ioannes
 omnibus clarius existit. Ipse est Angelus, non quidem naturæ, sed ob legati-

Psal. 88.
Acto. 13.
Iob 1.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Matth. 11.

Ioannis Bap-
tistæ humili-
tas quanta.
Ioan. 1.
Lucæ 1.
Matth. 11.

Ioannis Bap-
tistæ castitas
quanta.

Matth. 3. 11
Lucæ 7.
Marc. 1.

Lucæ 1.

Matth. 3.
Marc. 1.
Matth. 14.
Marc. 6.
Ioan. 5.

Matth. 17.
Ioannes vt in
se omium
ordines san-
ctorum con-
tineat.

Malach. 3.

Math. 11.

Ioan. 1.

Sanctitas S. Ioannis quorum sanctitatem nūdum attigerit.

Ioannes vt magnus fuerit ab annunciatione. Luca 1. Exod 30. Hebr. 9.

Ioannes vt fuerit magnus ex conceptione. Hiero. 1.

Lucas 1. Ioannes vt fuerit in natiuitate magnus. Lucas 1.

onis officium, & munditiam Angelicæ puritatis. De eo enim dicitur apud Malach. *Ecce ego mitto angelum meum, qui preparabit viam meam ante faciem tuam.* Ipse est propheta, imo, vt Christus ait, plus quàm propheta. Ipse Euangelista quia legem Euangelicam docuit. Ipse Apostolus, imo & Apostolorum dux, quando non solū populū ad Christum traxit, sed & Apostolos quosdam, nempe Petrū, Andream & Philippum ad Christum transmisit, illiq; docuit adhaerere. Ipse martyr, confessor & virgo excellentissimus vt potestis ex prædictis colligere. Merito ergo singulari quadam ratione commendatus est, qui tam singulari fuit excellentia sanctitatis præditus, adeo vt nihil ipsi defuerit vel de communi, vel priuata sanctitate cæterorum. Quamquā propter simplices admonendi estis charissimi, ne quis per hæc verba quibus dicitur nemo surrexisset maior Ioanne Baptista inter natos mulierum, potest eum vel Christo, vel virgini matri siue antelatum, siue æquiparatum esse. Loquitur enim hic Dominus de natis mulierū, vnde manifeste & seipsum, & matrem exceptit. Quamuis enim eximia sit S. Ioannis sanctitas, non tamen vlla ratione est Christo comparandus, & multis modis à matre Domini superatur. Nam ad minus non caruit culpis venialibus: atqui mater Dei nullam vnquam cuiuslibet culpe maculam contraxit vt interim de caritate taceam, quibus longè superior est Ioanne, sicut & alijs creaturis omnibus. Porro, vt manifestius possitis intelligere, quàm magnus fuerit beatus & reuerendus Christi Baptista Ioannes, quædam hic commemoranda sunt, ex quibus id perspicuè elucescat.

Primo itaque magnus fuit ratione annunciationis suæ. Nam ab eodem Angelo eius prænunciata est conceptio & natiuitas, à quo & Christus, nempe Gabriele: nec hoc loco vulgari, sed sanctissimo, puta ante arcam in terra sancta sanctorum, quo solus pontifex semel in anno ingrediebatur: itemq; tempore sacro, & cum insigni miraculo, quando Zacharias pater eius lingua officio priuatus est ob incredulitatem. Secundo, magnus fuit ex conceptione, quia præter naturæ ordinem & vsum conceptus est à matre sterili & senæ: at non multo post intra matris viscera purgatus est à culpa originali, dicitur de illo Spiritu sancto per S. Hieremiam: *Antequam exires de ventre, sanctificatus es.* Et ita si mortuus fuisset in utero, descendisset ad sanctos patres in limbo, qui dicitur sinus Abraham, vbi non erat aliqua poena sensus, sed tantum expectabant redemptionem humanæ naturæ & reductionem in paradysum per Christi mortem. Quod sanè non contingit alijs infantibus vel sine concupione ante natum Christum, vel sine baptismo post mortem Christi hinc emigrantibus, vt pote qui ob peccatum originis non possunt venire ad conspectum Dei: nec tamen poena sensibili cruciantur, si sine proprio peccato decedant. Ita ergo S. Ioannes in matris utero repletus est Spiritu sancto non solum sancti Spiritus inibi gratiam percepit, sed etiam vsum gratiæ: vnde factum est, vt præsentiam Saluatoris per os virginis salutantis Elizabeth agnosceret, simulq; exultaret, vt est apud Lucam. Tertio, magnus fuit in sua natiuitate: quia in hunc mundum mundus, id est, liber à culpa progressus est: atque pater eius Zacharias ita vt à spiritu doctus erat, nomen eius scripto expressit cunctis stupentibus: itemq; mater Elizabeth idem nomen non à marito, quia mutus erat, sed à sancto Spiritu edocta pronunciauit postero.

ero imponendum. Ad hæc mox vt Zacharias filij vocabulum declarauit, solum est vinculum linguæ eius, & loquebatur benedicens Deum, atque canticum illud propheti cum: Benedictus Dominus Deus Israel, plenus Spiritu sancto deprompfit. En quam multa hic concurrunt mira & inusitata, quæ S. Ioannem vehementer illustrant. Quarto, magnus fuit in sua conuersatione. Siquidem arduam, inculpatam, puram & sanctissimam duxit vitam. Cum enim plus minus quinque esset annorum, relictis parentibus, quamuis sanctis & Spiritu sancto plenis, mundoq; vniuerso contempto, abscessit in eremum, & ibi annis XXV. aut circiter in maxima vitæ austeritate perseuerauit. Quid hic dicamus nos miseri, nos vitæ pleni, qui vix bene viuendi prima initia tenemus, qui à perfecta conuersione longè absumus, & tamen nolimus agere pœnitentiam, fugimus quicquid carni molestum est, quicquid sensibus aduersatur? Sed reuera si pœnitentiam agere velimus, sine qua non potest esse reditus ad gratiam post peccata, non debemus mollia & delicata ac sensibus plausibilia sectari & aucupari: non est enim pœnitentia carni delectabilis, sed amara. Nam si carnem delectat, non est pœnitentia: debet nihilominus esse spiritui delectabilis. Quæ verò est illa pœnitentia, si ad omnem tristitem euentum, si ad quamlibet occurrentem aduersitatē quærimur, dolemus, murmuramus? Si nos peccasse pœnitet, cur impatienter ferimus flagella Dei, aut afflictiones præsentis vitæ, cum tamen non ignoremus nihil aliud deberi nobis post peccata admissa, quam cruces & flagella? Si sancti & innocentes plerique, atque etiam hic B. Christi Baptista, tantam elegerunt pœnitentiam, tot tantaq; perpassi sunt, vbi nos obsecro cum nostris peccatis & sceleribus manebimus? Non est satis à Christo nos dici Christianos, & fidem tenere Christianam, nisi splendidū nomen splendidi quoque mores & vita sancta exornent. Quinto, fuit Ioannes magnus ex acto illo singulari, quo Dominum Iesum baptizauit. Quod quidem summa cum humilitate & reuerentia fecit. Vnde ait ad Dominum baptizari volentem: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Magna profecto fuit Ioannis humilitas, qua sic percituit Dominum baptizare: sed longè maior humilitas Christi, qua voluit aquistingi, cum non haberet opus, vtpote agnus sine macula. Obiter possunt hic quædam quæstiones incidere, Qualis fuerit baptismus Ioannis, an sit idem cum baptismo Christi. Quo baptismo Christus fuerit baptizatus, an eodem quo reliquus populus, nempe baptismo Ioannis, vel suo, quo nos baptizamur? Ad primam quæstionem paucis respondendum est, Baptismum Ioannis non fuisse sacramentum, quo gratia conferretur, vel quo peccata siue originis, siue propria remitterentur. Baptizauit autem Ioannes, quia sic erat diuinitus præordinatum, vt Christum ipse baptizaret. Christus enim suum baptismum, quo ab omnibus peccatis mandamur, & in membra ipsius & Dei filios transfiramus, instituturus, voluit ipse prior baptizari, vt in seipso impleret, quod erat alijs percepturus: atq; etiam vt sacratissimæ carnis suæ contactu aquas sanctificaret, vniq; illis regenerandi tribueret, id est, vt cum prolatione & debita forma verborum virtutem habeant expiandi hominem à peccatis, & gratiam conferendi ex merito passionis & sanguinis Christi. Neque tamen solus voluit Christus à Ioanne baptizari, ne, quod D. Augustinus annotauit, homines putarent Io-

Ioannes qui fuerit in sua conuersatione magnus.

Pœnitentia vera vt necessario sit nature molesta, ipsi iucunda.

Ioannes vt fuerit ab actu baptizandi. Matth. 3.

Baptismus Ioannis vt non fuerit sacramentum.

Augustina.

annis baptismum præstantiorem esse Christi baptismo. Secundo, baptizavit Ioanes, vt homines ad Christi suscipiendum baptismum præpararet quod sanè non faciebat ipse baptismus Ioannis, qui non conferebat aliquam gratiam, sed illa feruens & vehemens prædicatio Ioannis, qua hortabatur homines ad agendam poenitentiam, & ad credendum in Dominum Iesum. Quamobrem dicebatur etiam baptismus poenitentiz, non quod peccata ablueret, sed quod illo suscipiendo homines velut inducebantur ad crederetur se poenitentiam acturos. Vnde non baptizabantur illo paruuli, quibus non erat opus poenitentia. Quos autem Ioannes tingeat aquis, eos porro mittebat ad Christum, dicens: Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto. Quod ad alteram quæstionem attinet, non fuit Christus suo baptismo baptizatus, quo gratia recipitur, qua Christus semper plenus erat sed baptismo Ioannis, qui velut quoddam poenitentiz signum erat. Id autem fecit Christus causa humilitatis, vt nobis exemplo suo consuleret, & etiam ob alias ante dictas rationes.

Baptismus Ioannis quo spectatit.

Christus cur voluerit à Ioanne Baptizari.

Ioannes quæ fuerit magnus in prædicatione. Math. 3. Marc. 1. Lucæ 3.

Ioannes vt fuerit in morte magnus. Psalm. 113.

Math. 4. Marc. 6.

Ioannes vt fuerit magnus in delictu ad Iymbu.

Ioannis beatitudo quam sit magna.

Ioannis in cælis vt sit supremus post Christum & virginem Mariam.

Sexto, fuit Ioannes magnus in prædicatione. Namque anno ætatis sue trigesimo cœpit prædicare & dicere, quod appropinquaret regnum cælorum. Lucunda vox, & quæ ad id vsque temporis nunquam esset audita: soli præcursori seruata, ex cuius sacro ore prima sonaret. Multi præcesserant patriarchæ & prophetæ, qui populum ad agendam poenitentiam & ad colendum dignè Deum erant adhortati: sed nusquam habita est mentio appropinquantis regni cælorum. Ex Ioanne primum auditur vox salutis, vox exultationis: & congruè quidem: quia tempore gratiæ, quod cœpit à Christi incarnatione, ille primus natus est sanctus. Qualis autem, & quam strenuus, quam rectus, quam feruidus fuerit in prædicatione, qui nosse vult, legat Evangelium. Septimo, fuit magnus in morte. *Preciosus in conspectu Domini*, ait Propheta, *mors sanctorum eius*: tanto autem preciosior, quanto huius mundi iudicio abiectior & despectior. Vnde mors Christi quia ignominiosissima, etiam longè preciosissima fuit. Mors quoque sancti Ioannis eo nomine preciosa est valde, quia admodum contemptibilis & indigna pro humana estimatione. Non enim solum occisus est pro iustitia, veritate, castitate, sed etiam, quod vehementer dolendum est, cum esset vir tantus, tamq̃ insignis, peremptus est in precium saltantis puellæ vilissimæ. Octauo, fuit magnus in sua ad inferos descensione. Mox enim vt occisus fuit, deportata est sanctissima anima illius in sinum Abraham, vbi sancti patres Christi aduentum præstolabantur. Quamuis enim & ab originali & actuali peccato esset reprobatus, tamen natura, quæ illi cum omnibus erat communis, nondum fuit reconciliata Deo per mortem Christi. Vt ergo antecesserat Christum natentem, baptizantem, docentem in terris, ita & morientem præcurrit, certissimum apportans nuncium patribus in limbo detentis, Christum venisse, & se breui sequurum esse. Nono, denique excellenter magnus nunc est in regno cælorum, vbi maxima fruitur gloria & beatitudine. Afirmant doctores non pauci luciferi locum, id est, supremum chori Seraphici eum obtinere. Non enim debet ille locus manere vacuus. Nec tamen conuenit Christo, qui est ad dexteram Patris: nec virgini matri, quæ choros omnes transcendit. Ergo nemini rectius quam illi, quo nemo surrexit maior. Non enim erunt

duo præcise æquales in cælis, ut ait magnus Dionysius. Si ergo nemo illo est maior, consequens eum esse summum. Si dicas, Ecquid inde habet dignitatis quod primam occupat sedem? Multum profecto habet, nempe omne illud, quod erat habiturus lucifer, si perstitisset. Lucifer si perseverasset, fuisset primus & supremus dux, princeps, magister & doctor omnium angelorum, cunctis alijs potentior, habuissetq; alios moderari ac illuminare, & ipse non nisi à Deo regeretur ac illuminaretur. Fuisset item alijs omnibus pulchrior, illustrior, purior, ardentior, in amore perfectior, atque ita ipse alios purgasset, illuminasset ac perfecisset: denique aliorum omnium inferiorum perfectiones ipse habuisset. Si ergo S. Joannes, ut piè credimus in eius est locum subrogatus, cunctis his præditus est bonis. Quod tamè utcumq; se habeat, id certo certius est, eum sicut maximis in terra meritis & incomparabili abundavit gratia, ita nunc præcipuo præmio & inestimabili gloria resurgere in cælis. Quapropter oremus eum dilectissimi, ut nobis apud Deum suis meritis & precibus auxilio semper esse dignetur, ad laudem & gloriam creatoris, qui est benedictus in secula, Amen.

IN SOLENNITATE SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI & PAULI, Lectio Actor. XII.

M diebus illis, Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis, apposuit & apprehendere & Petrum. Erant autem dies æzymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem servabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinculens catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussitq; latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catena de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcingere, & calceate caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transiunt autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, que ducit ad civitatem, que vitro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, & continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIIONEM.

Quamvis hic dies excellentissimis duobus Christi Apostolis, nempe Petro & Paulo dicatus sit, tamen Ecclesia memor quanta per illos diuinitus beneficia consecuta sit, noluit eis vnius diei impendere officium.